



Pretium Petronianum tertium

(24. Januar 2015)

3. Platz

Kristin Breitsch

Helvia Lucio suo salutem dicit.

Iam saepe, fili care, mihi occasiones scribendi dabantur, sed nova deerant. Quae Romae aguntur, certe litteris amicorum ad te deferuntur. Rure omnia cursum cottidianum rerum retinebant: Liberi alebantur, ver terram floribus afficiebat, aestate fertilitatem agrorum satisque pluviae aestusque deos orabamus, autumno fructus colligebantur, hieme copiis fruebamur.

Porro epistulam ideo non misi, ne mentem tuam exilio gravatam memoriis patriae aut sollicitarem aut cruciarem. Putavi enim te certum indulgentiae meae mutuae sed firmae quidem esse. Itaque tempus nuntii tui, quo de exilio affectioneque referres, expectavi.

Ego me gemitui luctuique non dedidi, quoniam – ut ipse scribis – consilium sine modo maerendi atque sortem dimicandi inane est. Meae causae in amissione coniugis optimi, avunculi carissimi, nepotum dulcium me dolorem sentire, non autem lacrimis cedere docuerunt. Cui nomen novum honores magnos attulisset, primum filium nomine solum amisi, secundus nunc vivus quidem exul tamen longe abest. Nihilominus lugubria deponenda ac ululatum finiendum esse scio.

Solacium in aequitate apparet et, quod exilium non intolerabile esse dicas, constantia tua gaudeo. In exemplo meo, quae ipsa omnia mala fortiter suscepissem, tibi auxilium ad exilium sustinendum tuli. Praeterea iam te puerum cum sorore Romam ad studium misimus et sorori amabili comitem in Aegyptum dedimus, ut nec commutationem loci nec absentiam tuorum timendam esse agnosceres. Nunc etiam dicis: “Nullus locus nullaeque causae me miserum facere possunt.” Sic loqui potes, quod gaudium ex te ipso nec loco nec hominibus nec rebus secundis petis. Dignitatem quoque numquam e terrenis rebus sed semper e pudicitia virtuteque hausisti. Numquam magnum impendium vestibibus aut coloribus aut gemmis ad formam amplificandam feci. Numquam vitam luxuriosam degi, quia antiqua severaque familia educata eram. Immo vero sine largitione ac gratia filiorum modestum cultum agere soleo. Cum exemplum meum tibi placuerit, ea de causa vita frugi tibi sufficit. Felix sit, cuius animus non ex rebus secundis pendeat. Sic omnis locus necessaria beate

vivendi praebet, quod mentem, virtutes, scientiam semper tecum fers, quod corpori non carenda parare scis. Ne paupertas quidem te perterret. Nam desiderio panis aquae tecti solo cedis. Patrimonio obtento vita Romae te non hominem vitiosum ac avidum luxuriae reddidit, sed vitia avaritiae impudiciaeque animadvertisti et secundum mores maiorum, quos parentes docuissent, a cultu aliorum abstinuisti. Exemplis doctrinis ad causas perferendas datis requiesco.

Quoniam longinquitate locorum et absentia filii assuevi, exilium tuum flebile non est. Luctus animum impedit, itaque fugandus est. Spes reditus me instigat, ut patrimonium – sicut ante fecerim – administrem. Par et aequa sorori enim gemitum usui officioque subdo. Media in tempestate illa modo de funere coniugis nec periculis cogitavit, ego imprimis res familiarum pro liberis augeo, mores nepotum Marci Novatillaeque compono et excolo, patri seni cum sorore provideo.

Cum nullo tempore auctoritate filiorum usa sim, Romae omnino impotens ignotaque sum nec mihi facultas reditum tuum ex exilio incitandi datur. Te autem nullius sceleris auctorem et ideo rediturum esse credo. Itaque non dubito quin imperator noster iustitiam et gratiam in insontes adhibiturus sit.

Fac ut valeas.